

De codice archetypo carminum Tibullianorum.

Quod alio loco mirum esse dixi quod nemo adhuc praeter Scaligerum (cui sane male cessit) textum quem dicunt Tibulli eisdem fere corruptelis laborare cogitavit ac eorum quibus olim iunctus fuisse videtur in codicibus manuscriptis poetarum, Catulli et Properti, id maiore iure iterare licet lacunas perlustranti quibus illa carmina conpluribus locis defoedata esse inter viros doctos constat. Quae qua ratione ortae sint priusquam disquirimus, duo fere genera lacunarum inter se seiungenda esse adnotamus, quorum alterum eos complectitur locos, quibus vel totus excidit pentameter velut I, 2, 46 b ¹⁾ II, 3, 15, II, 3, 75 vel dimidia pars hexametrorum pentametrorumve velut I, 6, 42 ²⁾ II, 1, 58 I, 5, 61 ³⁾, alterum locis quibus vel singula vel complura desiderantur disticha efficitur his I, 10, 25 I, 10, 50, II, 3, 34 II, 3, 58 ⁴⁾. Ac horum quidem locorum praeter eos quos alteri prioris partis membro tribuimus conspectum confecit Kindscherus singulisque locis qua via lacunas exstitisse sibi fingat docuit, non tamen eo progressus, ut omnibus Tibulli carminibus compositis certum ordinem huius corruptelae indagare studeret. Is enim ex commentationis significatae consilio solum carmen libri I decimum accuratius tractavit nec nisi ut quae de hoc protulisset illustraret cetera adscripsit exempla. Quod olim 72 versuum carmen ubi in archetypo tribus fere paginis scriptum fuisse videri protulit, singulis paginis duodenis distichis attributis, ab hac quaestione destitit, seu plura de Tibulli exemplari unde nostri pendunt codices dici non posse sibi persuasit seu (quod libentius crediderim) plura proferre noluit. Iam si ad hanc quaestionem tractandam accingimur, vix operae pretium videtur esse, quanta enascantur critico commoda archetypi forma cognita et condicione pluribus enarrare quippe de quo

1) Editione utor Hauptiana quae prodiit Lipsiae ap. Hirzel. CIOIOCCCLXI.

2) Nihili sunt quae monet Kemperus quaest. Tib. p. 13 sq.

3) De quo genere cfr. Henrici Bubendey quaest. Tib. p. 22—26

4) cfr. Kindsoher. Mus. Rhen. XVII p. 148.

inter omnes qui de his rebus iudicare possunt summa sit consensus: id unum moneo, eis quae ad archetypum spectant in lucem protractis, in singulis scriptoribus quod adhuc multifariam in controversiam vocari videmus, utrum lacunis statuendis an transpositionibus corruptelae sanandae sint⁵⁾, certo posse diiudicari.

Quis autem est quin in eiusmodi quaestionibus tractandis, nisi ut in Catullo alia accedant argumenta, ex compluribus similis condicionis locis conlatis ita exeundum esse intellegat ut primum quae eis communia sint perscrutetur, tum eis quae inventa sunt adhibitis omnes quae sunt lacunae sub unam unde universae lucem accipiant redigantur rationem. Neque errare mihi videor, carminibus I, 10 et II, 3 comparatis quot fuerint singularum archetypi paginarum versus non ita difficile enucleari posse arbitratus.

Ita autem rem conficere in animo est ut primum exponamus quid sit quo cogamur ut foliorum defectu lacunas in his carminibus extitisse statuamus, tum quid inde ad archetypi naturam redundet videamus. Carminis autem libri I decimi accuratiorem tractationem debemus F. Kindschero, qui de Tibullo saepius docte egit, eam eo maiore laude dignam, quod certa quadam singularum partium poematis responsionis lege inventa acute quatenus pateant lacunae indagare studuit. Neque tamen etsi in universum vestigia sequimur omnes eius sententias comprobamus. Sed singula videamus.

Primus Pontanus in hoc carmine lacunam esse intellexit seu recto quodam veri sensu ductus seu, quamquam in codicibus nostris nullum reperitur vestigium, in libris manuscriptis quibus usus est lacunae signum invenit: quem secutus Muretus post versum 25 non nihil deesse videri adnotavit, male ille ideo a Scaligero (Castigg. in Tib. ed. 1582 p. 127) nihil hoc loco integrius esse existimante reprehensus. Cuius auctoritate nixi multa per saecula quae in codicibus scripta erant legerunt editores, dubitationes si quae fuerunt interpretatione quantumvis contorta sublatis. Sed integerrimo veri sensu Kindscherus versus 25 et 26 inter se tam non cohaerere intellexit ut nisi versus nonnullos quibus sententiarum conexus efficeretur intercidissee tibi persuaseris, ei nullo modo explicari possint. Mirum autem in modum vir doctissimus in enarranda huius lacunae origine implicatus est. Vt enim proposuit eam non tam librarii incuria natam esse, ab altero versu ad alterum aberrantis, quam eo quod folii vel summa vel ima particula desecta fuerit, cuius rationis necessitas infra clarius apparebit, hac in lacinia versus

5) v. e. gr. Bubendey l. s. p. 28.

qui desiderantur 25 b et c scriptos fuisse addit. At id, hercle, quomodo fieri potuit? Ita enim si res se habet aut pleno disticho paginam finitam esse negandum apparet aut si id contendi non posse concedis, paginam non tam decisam quam intercisam fuisse contendendum est, ut in summa parte versus usque ad vicesimum quintum legerentur, media pars in qua versus 25 b et c scripti fuerunt evulsa esset, in ima pagina versus vicesimus sextus appareret. Quod etsi fieri potuisse non infitiamur, tantum tamen abest, ut ea codicis laceratio verisimilis nobis videatur ut alia via qua corruptelam interpretemur munienda sit. Quam priusquam inimus, id disquirendum est, utrum summam an imam paginam mancam fuisse rectius statuamus. Quod quamquam certo definiri nequit tamen si utrum verisimilius sit quaerimus, ne nimis audaces videamur non veremur, multo probabilius esse opinati imam paginam non fuisse integram. Vnde profecti versu 26 eisque qui olim sequebantur paginam archetypi finitam fuisse conicimus. At restat inquis, quod Kindschero opposuisti: ipse enim talem qualem illum statuisse lacunam vituperasti suades. — Haec igitur movenda est difficultas. Vidimus nullo fere modo nisi descissa paginae parte lacunae originem explicari posse. Praeterea versus 26 sq. in infima pagina locum habuisse ita proposuimus, ut huic coniecturae probabilitas quaedam inesse videatur. Quodsi iam invenimus, lacunam inter hexametrum et pentametrum eam esse, ut pentameter et hexameter desiderentur, aut quod Kindscherus posuit probandum est, aut quoniam interpretatio non restat, pentametrum ex interpolatione natum esse demonstrandum. Quarum altera ratione reiecta alteram amplectimur, pentametrum

‘hostiaque e plena mystica porcus hara’
insiticiu esse suspicati.

Quod ne leviter iecisse putemur, primum causas explicabimus quibus post versum 25 et qui post eum exciderunt finem paginae statuamus movemur, tum versus ipse quales praebeat scrupulos enarrabimus.

Atque ut quod priore loco posuimus rite illustremus, animadvertenda est lacuna quam post v. 50 M. Hauptius statuit. De qua longiore expositione non videtur opus esse, ex quo qui post Hauptii editionem alteram evolgatam de hoc loco verba fecerint (Kindscherus⁶⁾ et H. Kemperus⁷⁾ rectissime eum iudicasse agnoverunt.

Vt nunc omittam quot versuum lacuna statuenda sit, eam

6) l. l. p. 150.

7) l. l. p. 34.

ita originem cepisse statuimus ut versus qui desunt in infima vel summa parte paginae post avolsa scripti essent, quod idem in priorem lacunam cadere videbatur. Quibus singulis in explicandis si forte eo corruptelam exortam esse cogitari potuit ut librarii oscitantis oculi ab altero versu ad quartum vel quintum aberrarent, nunc cum his brevi spatio interiecto eadem redeat corruptela eo more quo supra exposuimus lacunam enatam esse vix est quod dubitemus. Iam vero considerandum a versu 27 a quo novum folium incipit, usque ad v. 50 ubi lacuna est duodecim legi disticha. Par distichorum numerus interest inter lacunas quae post vv. 34 et 58 tertii libri secundi carminis Lachmanno auctore statuendae sunt ad quas tractandas nunc pergimus. Multifariam inde a Scaligero de huius carminis compositione indicatum est. Ille enim versus inde ab 33 usque ad 60 ab hoc carmine alienos iudicavit eosque post versum decimum quartum sexti carminis libri alterius transposuit, hoc ipsum carmen his versibus finiens⁸⁾. Rectissime autem Heynius ibi eis non magis locum esse significavit quam eo quo volgo sunt loco, quamquam ne ipse quidem sibi potuit temperare quin eos, fragmentum perditae elegiae, a cetero carmine seiungenda esse censeret⁹⁾. Vossius autem his versibus integram sibi elegiam invenisse visus est¹⁰⁾. Non est huius loci hos viros hac in re egregie erravisse demonstrare, seu ut Scaliger in carmen libri II sextum transposuerunt hos versus, sententiarum ordinis ratione non habita, seu velut Vossius omni sensu poetico abiecto hanc carminis laciniam integram elegiam efficere voluerunt: magis adeo ei erraverunt qui conexum sententiarum utroque loco sanissimum optimumque esse sibi persuaserunt¹¹⁾. Vnice veri Lachmannus, Dissenus, Häuptius et post v. 34 et post v. 58 lacunarum signa posuerunt, quorum exempla secutus Rossbachius¹²⁾ priore loco, non altero: qua in re sine dubio egregie fallitur¹³⁾. Habemus igitur duo carmina, utrumque duobus lacunis destitutum, inter quas duodeni leguntur versus. Inde progressi qui fuerit paginarum archetypi singularum versuum numerus enucleare studebimus. Atque quoniam apparet post versum carminis libri I decimi vicesimum quintum tres desiderari versus, versus autem illos ultimo loco in pagina archetypi scriptos fuisse constet, acce-

8) Catull. Tib. Propert. nov. ed. I. Scaliger. rec. Antverpiae CIOIO LXXXII p. 116 castigat. p. 131. 136.

9) Tibull. ed. Huschke I p. 314.

10) Tib. u. Lygdam. v. I. H. Voss 1811 p. 296.

11) Huschkiius l. c. 'namque posse haec inter se conciliari quis prae fracte neget?' Wunderlich. Lips. 1817 p. 149. 225.

12) ed. Lips. 1855 p. IV.

13) vide Dissen. II p. 225.

datque post duodecim disticha denuo esse lacunam et eam vix aliter explicandam, quam ut paginae particula dirimeretur, satis certo affirmari poterit, post versum 50 quoque duo intercidisse disticha singulasque archetypi paginas quaterna dena disticha complexas fuisse. Quod ut comprobetur computemus necesse est, compleantne versus inde a quinquagesimo primo carminis libri I decimi usque ad tricesimum quartum carminis libri II tertii certum paginarum numerum. Cuius computationis conspectum hunc habes:

p. 1	ab v. I, 10, 1	— I, 10, 25d
p. 2	ab v. I, 10, 27	— I, 10, 50d
p. 3	ab v. I, 10, 51	— II, 1, 10
p. 4	ab v. II, 1, 11	— II, 1, 38
p. 5	ab v. II, 1, 39	— II, 1, 66
p. 6	ab v. II, 1, 67	— II, 2, 4
p. 7	ab v. II, 2, 5	— II, 3, 10
p. 8	ab v. II, 2, 11	— II, 3, 34
p. 9	ab v. II, 3, 34b	— II, 3, 58
p. 10	ab v. II, 3, 58b	— II, 4, 2

Vides omnia optime quadrare idque quod antea in ambiguo reliquimus, utrum versus qui post vv. 34 et 58 carminis libri II tertii in summa an ima pagina locum habuerint, nunc computatione confecta ita ad liquidum perductum esse, ut hic de summa pagina partem avolsam fuisse intellegamus.

Hactenus igitur omnia bene se habent: restat ut versum 26 carminis libri I decimi interpolatum esse veri simile fiat. Facile autem intellegitur, firmissimum quo nitamur argumentum eis contineri, quae modo exposuimus: lacunam esse post versum I, 10, 25. Quod si probaveris, facere non poteris quin qua ratione pentameter ille 'hostiaque e plena rustica porcus hara' servatus sit nullo modo perspici posse largiaris. Nam quae Kindscherus sibi finxit non ea esse quae salva probabilitatis lege proponantur supra ad liquidum nos duxisse putamus. Iam vero ne ipse quidem versus difficultatibus caret non ita facile solvendis de quibus vide sis Dissenum II p. 198. Accedit quod molimur in Tibulli carminibus minus habere dubitationis quam in aliis fere scriptoribus. Satis enim constat plures extare versus a philologis saeculorum XV et XVI ad lacunas complendas confictos, quorum si maior pars in codicibus nostris nominibus auctorum etiam nunc est ornata, at quam facile evenire potuit ut haec evanescerent nomina? Cuius rei ne nunc quidem exemplis destituti sumus. Nam in codice Parisino 7989, cuius collationem A. Holderi amici comitate in manibus habeo, longe plurimis locis versus suppositicii ab altera demum manu scripti sunt auctoris nomine addito Senecae, velut II, 3, 75 et II, 3, 14c; at I, 2, 24

'ille deus certe dat mihi signa vie' a prima manu adpositus est, nullo signo eum a Tibullo non prodiisse adpicto. Quem nisi codex regius Heynii Aurispae esse evinceret eiusdemque lacunae supplendae caussa alios ab aliis viris doctis versus compositos esse constaret ¹⁴⁾, complures fortasse Vossii ¹⁵⁾ partes secuti essent, hunc versum, qui genuinum Tibullianae poesis colorem prae se ferret, Aurispae falso tribui contententis. Neque illud omiserim Tibullum interpolationibus eisquae satis certo definiendis minime carere. Huc referendi e. gr. versus II, 6, 23. 24 ¹⁶⁾

haec laqueo volucres, haec captat arundine pisces
cum tenues hamos abdidit ante cibus.

Quos ne dicam insulsissimos esse Tibullianae poesis consuetudinem miro modo turbant. Is enim quo utitur more et eis quae antecedunt distichis et eis quae secuntur eam cui illustrandae omnia serviunt notionem initio versuum seu hexametrorum ponit seu pentametrorum 'Spem' ¹⁷⁾. Quod in his neglectum versibus quantopere concinnitatem dirumpat satis apparet. Sed aliud superest, ne illud quidem parvi momenti. Totum enim carmen, si ab isto disticho recesseris, subtilissime in quattuor partes distribuitur quarum prima et quarta septena, altera et tertia sena complectuntur disticha. Primis autem 7 distichis poeta se cum Macro in bellum esse profecturum amoris oblitum minitatus, puellae desiderio se adhuc quominus faciat, impediri narrat; tum spem qua semper teneatur 6 distichis celebrat iterumque sex distichis puellam ut in suum amorem redeat flebilissime implorat, denique 7 rursus distichis acerbissime devovet lenam utpote retardantem Nemesis amorem. Quae cum omnia una faciant non nimii esse videbimur distichon supra scriptum spurium esse rati ¹⁸⁾.

Sed ut unde deflexa est oratio nostra redeat satis multa prolata esse credimus quibus versiculum istum 'hostiaque e plena rustica porcus hara' a Tibullo non confectum esse evincatur.

Iam cum ab omnibus partibus ea quae proposuimus stabilita videantur, vix necessarium esse putaverim universam com-

14) cf. edition. Heynii a Wunderlich. curatam. Observat. p. 33.

15) l. l. p. 154.

16) idem contendit G. Fischer altera sententiarum quas dissertationi 'de locis quibusdam Propertianis' Bonnae a. 1863 editae addidit controversarum his verbis 'distichon quod legitur apud Tib. II, 6, 23. 24 subditivum est'.

17) cfr. Dissen. de poesi Tibulli I p. CXXXVIII sq.

18) Consilio eos praetermisimus versus quorum altera pars ita interpolata est, ut prior repetita sit, quippe quos a librariis factos esse censeamus, hos quos modo tractavimus recentioris aevi hominibus eruditibus tribuentes.

putationem enarrare, nisi aliae quaedam coniecturae quas prius quam haec explicarem periclitatus sum miro modo confirmarentur. Haec igitur erit paginarum libri primi et secundi — nam reliquos non curamus — archetypi ratio¹⁹⁾:

p. 1 usque ad v.	I, 1, 28*	p. 23 usque ad v.	I, 8, 74*
p. 2 —	I, 1, 56	p. 24 —	I, 9, 24
p. 3 —	I, 2, 6*	p. 25 —	I, 9, 52*
p. 4 —	I, 2, 32	p. 26 —	I, 9, 80
p. 5 —	I, 2, 60*	p. 27 —	I, 10, 24*
p. 6 —	I, 2, 88	p. 28 —	I, 10, 50
p. 7 —	I, 3, 18*	p. 29 —	II, 1, 10*
p. 8 —	I, 3, 46	p. 30 —	II, 1, 38
p. 9 —	I, 3, 74*	p. 31 —	II, 1, 66*
p. 10 —	I, 4, 8	p. 32 —	II, 2, 4
p. 11 —	I, 4, 36*	p. 33 —	II, 3, 10*
p. 12 —	I, 4, 64	p. 34 —	II, 3, 34
p. 13 —	I, 5, 8*	p. 35 —	II, 3, 58*
p. 14 —	I, 5, 36	p. 36 —	II, 4, 2
p. 15 —	I, 5, 64* ²⁰⁾	p. 37 —	II, 4, 30*
p. 16 —	I, 6, 16	p. 38 —	II, 4, 58
p. 17 —	I, 6, 44* ²¹⁾	p. 39 —	II, 5, 26*
p. 18 —	I, 6, 84	p. 40 —	II, 5, 54
p. 19 —	I, 7, 26*	p. 41 —	II, 5, 80*
p. 20 —	I, 7, 54	p. 42 —	II, 5, 108
p. 21 —	I, 8, 18*	p. 43 —	II, 6, 14*
p. 22 —	I, 8, 46	p. 44 —	II, 6, 44.

Hunc conspectum perscrutatus miraberis fortasse nullum nos spatium neque libri primi titulo neque alterius reliquisse. Quod si cur fecerimus quaeris haec nobis praesto est ratio. Vt Lachmannus cum Catullianorum carminum archetypi formam restitueret, unius lineolae spatium titulo servavit²²⁾, sic Tibulliani libri inscriptioni plus spatii concedendum esse negamus. Quamquam enim codicis Parisini 7989 scripti anno 1423, cuius unius accuratiorem habemus notitiam condicio ea est, ut, cum singulae paginae vicena quaterna disticha comprehendant, prima

19) hoc signo * singulorum foliorum partes anticas notavimus quo facilius quae unius sint folii paginae perspiciatur, id quod in eis rebus diiudicandis quales supra tractavimus summi est momenti (cf. p. 27. 28. p. 35. 36), siquidem singulos locos quibus lacunae sunt semper ita collocatos esse ut bini binarum unius folii paginarum sint, multum ad coniecturas nostras confirmandas valere videtur.

20) vv. I, 5, 45. 46 deleverunt Gruppianus et Bubendeyius.

21) de I, 6, 45—56 vide infra.

22) cf. ed. II Catulli p. 4.

pagina undeviginti disticha legantur, duodecim versuum spatio his verbis completo 'albii tibulli poete illustris liber incipit et primo prohemium q̄ | spretis divitiis atq; militia deliam amet et amore prorsus vacare velit. liber primus': tamen quamvis ipsi codicum mscr. cognitionis expertes nos non magnopere erraturos esse speramus, si in archetypo, quem codicem saec. X fuisse conieceris unam lineolam his fere verbis datam fuisse contendimus, 'Albii Tibulli lib. I incipit', exemplo carminum Vergilianorum a Ribbeckio editorum usi, qui unus liber eius generis quo diligentes codicum collationes inveniuntur in nostro oppidulo praesto est. Quod si ita fuit, huic lineolae quippe quae quominus quattuordecim disticha in pagina scriberentur non impedivit, proprium locumtribuendum non fuisse intelleges. Quod idem in libri primi finem alteriusque initium, his opinor verbis notatum 'Albii Tibulli lib. I expl. incip. lib. II' cadere crediderim.

Superest ut cur versuum I, 5, 45. 46 in computatione supra scripta rationem habuerimus explicemus, non habuerimus vv. I, 6, 45—56 et II, 6, 23. 24. Horum autem versuum etsi sine dubitatione universi a Tibullo alieni sunt longe diversa est origo. Versus enim I, 5, 45. 46 primum a Gruppio²³⁾ ad persuadendum aptius ab H. Bubendeyio meo²⁴⁾ obelo transfixi vix aliter oriri potuerunt, quam ut ex alio quodam poeta excerpti et ad marginem carminis Tibulliani adscripti neglegentis librarii culpa in textum quem dicunt migrarent. Hos igitur antiquo tempore interpolatos in archetypo locum habuisse persuasum habemus. Quod idem de ceteris versibus quos supra citavimus affirmare nolimus. Quorum eos qui priore loco scripti sunt si recte insiticios esse iudicavimus compluribus caussis moti, quippe qui neque eis qui antecedunt versibus recte adiungi possint neque eis qui secuntur et multis praeterea laborent vitiis a Tibulli et arte et ingenio alienis, nunc alia ex parte sententia nostra firmatur, siquidem quam proposuimus compositio archetypi omni ex parte bene se habet horum versuum nulla ratione habita, debilitatur etsi non concidit eis adnumeratis. Quod argumentum quoniam hic locus unus repugnat, cum cetera aptissime quadrent, non vili pendo. Accedit quod alio loco quo de his versibus disputavi eos nullo alio consilio interpolatos videri monui, nisi ut inter diversorum carminum fragmenta conexus fieret. Quod alio tempore factum esse atque eo quo Itali novo veterum scriptorum amore affecti erant, saec. sc. XV et XVI vix qui contendat exsurget.

23) Roem. Elegie I p. 192.

24) l. 1. p. 8 sq.

Iam vero si ea quae huc usque disputavimus recte se habent ultra progrediamur licebit, nonne eis locis quibus singula folia archetypi finita fuisse intelleximus, praeterea exstant mendedae perscrutaturi. Atque ut quid sentiamus statim enuntiemus, eandem corruptelam, qua c. I, 6 et II, 3 laborare demonstravimus, in Tibullianis carminibus compluries locum habere nobis persuasum est. Cuius rei exempla proximae reservabimus commentatiunculae.

Vesaliae.

O. Korn.
